



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

CCCLXXXI. Des Rektors nochmalige Aufforderung zum Besuche der Universität Frankfurt, vom 26. Februar 1506.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55756)

auch die Leihung der Beneficien, die der Vniuersitet incorporirt seyn, sollen bey der Vniuersitet eyngelegt werdn, doch das der Cancellarius zu iglicher Tzeit cyn funderlich Schlos vnd Schluffel dartzu haben, auch sollen die Collaciones der Collegiaturen, Prebendn vnd Altarien bey der Vniuersitet seyn, das sie tzu welen haben, doch das sie solchs mit Rate vnd Verordnung des Bischoffs vnd Cantzlers thun. Wir wollen auch als die landsfurten die hebstlichen vnd koniglichen Confirmationen vnd Confirmatorien der gedachten Vniuersitet gnediglicher vnd gburlicher Weise hant-habn, also das den zuwider vngedurlich nicht verschafft ader vorgenommen werde. Wurden auch mit der Tzeit etliche Tzins vf Widerkoff zu Nottorfft der Vniuersitet vorschribn, abegekauft, alsdan wollen wir vns zu Wideranlegung der Svmmen in vnfen Landen ader auferhalb mit Rat gnediglich fyndn lasen vnd zu thun vergunnen, vnd ab etwas hirjnnen nicht bedacht vnd in zukunfftign Tzeitn der Vniuersitet zu Nutze gedeyen mochte, so solchs die Nottorfft irheifchn worde, wollen wir vns als die Landesfurten auch gnediglich darjnnen haltn vnd irtzaigen. Was auch der Rat zu Franckfurt den obgedachtn Rector, Doctoribus, Magistern vnd Studentn etlicher ander Artikel zu Notturft ires Standes vnd Wesens nachgeben vnd vorgonnen werdn, das wollen wir hiemit auch vergunt, gegeben vnd bestetiget haben. Des zu Vrkund steter Haldung haben wir disen Briff mit vnfern Marggraff Joachims churfurftlichn grofen anhangenden Ingesigel vorgefelen lasen. Geschehen vnd geben zu Coln an der Sprew, am Sontage Esto michi, nach der Geburt Crifti taufent funffhundert vnd jm sechtn Jare.

Ex commissione principis electoris Sigismundus Czerer, decretorum Doctor Cancellarius subscripsit.

Aus Teymers Copialbuche des Stadtarchives fol. 1.

CCCLXXXI. Des Rectors nochmalige Aufforderung zum Besuche der Univerſität Frankfurt, vom 26. Februar 1506.

Univerſis et ſingulis has literas lecturis, viſuris, aut legi audituris Conradus Wimpina de Buchen, Artium et Sacre Theologie Profefſor, Francofordiani cis Oderam Gymnaſii Collegiatus et Rector, Poſt debitam cujusque pro conditione obſervantiam, Salutem in Domino ſempiternam. Si inter univerſas nature, fortune et gratie dotes, quibus Opt. Max. humanam miſeratus conditionem mortalium fragilitatem, poſt protoplaftri prevaricationem juvit, auxit et excoluit, precipuum locum et velut Monarchiam quandam Clariffima Virtutum obtinet Sapientia, uti res quedam diviniffima, quam ſolus Deus maxime poſſidet, eamque amatoribus duntaxat ſuis communicat, quo eodem ex mortalibus ſempiternos, Deiformesque et ſui quam ſimillimos efficiat; Quis non videt et confitebitur ultro, Primas ſedes et preſtantiffimum inter univerſa humano uſui commoda, ordinem et locum ſibi vindicare Scholas et doctiffimorum hominum cetus, Academies et Univerſitates, in quibus omni opera, cura, induſtria, fortunis denique omnibus, non tam illi, quam diximus, ingenue ſapientie, quam univerſis aliis bonarum artium Doctrinis et inſtitutis, dies noctesque inſtitur, defudatur, incumbitur, quatenus univerſa divinarum, humanarumque rerum arcana, religio, ceremonie, cultus,

observantia et celorum motus, varius stellarum meatus, planetarum decursus, Solis Luneque labores Elementorum continentisque vires, nature abdita, terre marisque contenta, denique Leges, instituta Consultationes, precepta, adhortamenta, corporis animeque medele et penitus quicquid in vita mortalibus utile est, ex hujusmodi doctissimorum contubernio hominum scholarumque Archivis, veluti quodam refertissimo preciosissimarum mercium emporio deprompta, ad communem totius patrie et Orbis commoditatem et decorem in publicum prodeant et divulgentur; Quod profecto utriusque mortalium vite, quiete utpote et civilis, conditionem ulla ex parte intuenti nulli non poterit esse notissimum. Equidem, cum in ea vita, que a Civili forensique disceptatione temperatur, et procul vivitur a forensi contentione, doctissimi hi homines, Philosophi inquam, Sacri Theologi et reliquarum quietarum disciplinarum ingenii Professores, primum se mutuo, hincque alios (qui studii amore ad eos concesserunt) nobilissimis doctrinis, ignorantie explosa caligine, indies magis atque magis illuminare contendunt, deterioraque adolescentie ingenia optimis vivendi preceptis et vite institutis, a vitiis erroribusque purgant, et dociliora Auditorum suorum corda sublimissimis doctrinis divinis atque ex creaturis mundi depromptis ad arcana celestium rerum contingenda utcumque perficiunt: Quis abnuere poterit, hos ipsos hominum cetus, non solum summum decus et commoditatem quiete et religiose hominum vite subministrare, verum etiam suis Scholis et Academiis expressam quandam Imaginem et pulcherrimum exemplar hic nobis in terris exhibere et instituere celestis istius Hierarchie, in qua Beati Spiritus Canone, ordine et Scriptura novem Ordinibus, sub tribus Hierarchiis distincti sacerrimis theophaniis sese mutuo illuminant, purgant et perficiunt. Et id quidem in quieto religiosoque vivendi ordine sic se habere nemini est occultum. At in Forensi civilique hominum vita, qua nihil se amori eximius accommodat nihil nostra sententia est, quod his, quas diximus, doctissimorum hominum Scholis, vel Sacrosancte Christiane Fidei existat utilius, aut publicis privatique rebus commodius, aut paci populi que saluti conducibilius: Nempe, ut ceteras (et quidem innumeras) missas faciamus illarum Universtatum commoditates, Numquid maxime preciables et nulla unquam etate compensabilis in Rep. Christiana hec est utilitas, quod teneri adolescentium animi (qui surgentis Reipubl. undique gentium fomentum sunt et seminarium) omnis adhuc doctrine et institutionis ignari, nedum virtutibus imbuti, quibus bene beateque vivendi rationem accipiunt, instituuntur et quodam velut paradigmate et linea, ut in rectum crescant et adoleant, diriguntur, Verum literarum cognitione et sapientie Preceptis ita erudiuntur et demum gravioribus institutis perficiuntur ut postera et ingruenti proxima post adolescentiam florente adhuc juventa jam jam Christi religionem perire et constanter docendo, dignitatem privatarum et civilium rerum sapienter administrando, Populi que saluti prudenter consulendo, non solum patrios penates, urbes et oppida (quibus prognata docilis etas patria lege tenetur) sed et exterarum nationes, Regna et imperia universumque orbem, in ipsa etiam juventa ornent, augeant et conservent: Quorum scilicet adolescentie sic bonis artibus multarumque doctrinarum genere erudite atque optimis institutis ad bene vivendum, agendumque affefacte, Res omnes humane et divine, Sacra, Ceremonie, animarum salus, jusque et imperium, vita, libertas, ars, foci, corporis curatio, bona fortune, domicilia et cetera id genus, imo Christiana Religio, jam tutius, confidentius, salubrius, credi committique possit, quam ulli unquam ignavo seni, ob canitiem rugasque opinione quidem magnam, revera autem nullam ex facie prudentiam spondenti. Neque enim (ut ingenue fateamur) quispiam mortalium, quantumvis alto suapte natura ingenio polluerit, tantillum ardui, prestantis et digesti pro Reipubl. alicubi gentium, emuncte rate et prudenter potuit, quo Civilis hominum communicatio in affluenti tranquilloque statu gubernaretur, foveretur et ulla ex parte amplificaretur: Nec; pro Christi religione tantopere niti et affe-

qui quispiam valuit, quo hereticorum versutie, insidie, argutiole qua alienus reprimerentur, commi-
nerentur, aut destituerentur; Nisi vel hunc Sacra Spiritus desuper edocuerit unctio, quod reliquos
humana institutio, aut in doctissimorum cetu Academiae hominum doctas vitam excoluerit per ar-
tes. Testis est divus ille gentium Doctor Paulus vas electionis, qui profecto nequaquam tantopere
in Atheniensium Areopago contra mundi sapientes, aut in Synagoga adversus Judeorum calumnias,
sele victor erexisset, nisi ad Gamalielis Legum Doctoris pedes in ipso Hierosolymitano Gymnasio
erudiendus super omnes coetaneos suos recubisset. Testes sunt Divi illi, Catholice Ecclesie co-
lumne, Hieronymus, Augustinus, Didymus, Origenes, Basilius, Dionysius, Cyprianus, Nazianzenus,
Ambrosius, Gregorius, Maximus, Hilarius et innumeri denique alii Christiane Religionis clarissimi
Antistites, quos in confesso est nequaquam tantopere potuisse suis studiis et illucubrationibus hereti-
corum rabiei obtutisse, aut tanta doctrinarum copia mundum illustravisse, nisi illis in juvenia acci-
disset, ut per diversas mundi oras, in variis gymnasiis Doctoribus et preceptoribus inertiam previam
erudiendam tradere potuissent. Testes adhec maximi Orbis moderatores et Monarche, Cyrus, Da-
rius, Astiages, Xerxes, Ptolomei, Antiochus, Assuerus, Alexander, Julius Octavius, Carolus et qui-
cunque his vel natu majoris, aut etate posteriores in orbe rerum summam tenuerunt, quorum indu-
bie, si supera aura vescerentur, omnium una foret sententia, nequaquam se, que mundi tenuerunt
gubernacula, gubernare potuisse, nisi vel ipsis in vita contigisset, ut vel ipsimet literarum institutis
valuissent, aut administrationibus expeditionibusque suis, literarum Studiosos, omniumque doctrina-
rum genere conspicuos adhibuissent. Evidens certe argumentum, apertissima indicina, nihil in ter-
ris doctorum congregatione hominum melius, prestabilius, frugalius, quorum institutione (ut cetera
nunc cuncta missa faciamus) iners et devius populus ad salutis viam revocatus, ad unius veri dei
agnoscendam Majestatem adorandamque Divinitatem inducitur et eruditur, *ipseque urbes, oppida,
Ducatus, Regna et Imperia, faustioribus Sceptris, tranquilliore ocio, affluentissima pace et omnium
rerum uberiori copia gubernantur, foventur et amplificantur. Vnde permotos fuisse aperta conje-
ctura est prisicos illos, non modo nostre Orthodoxe Religionis, sed quam plurimos etiam peregrine
superstitionis heroes, terrarum marisque moderatores, Indos et Assyrios, Arabes et Egyptios, Atti-
cos, Lacedemonios, Druidas, Eolos, Phryges, Persas et Medos, Afros, Anglos, Hispanos, Aufoniol-
que et nostrates tandem Germanos, cur tantis impensis ejusmodi (quas diximus) Scholas et Acade-
mias et doctorum hominum Universitatis passim per Orbem instituerent, et perpetuo donatas ere-
rigerent. Quorum profecto tam laudata prisicorum, que diximus, instituta et inventa, Illustrissimi
Principes et Domini, Dominus Joachimus, Sacri Romani Imp. Archicamerarius et Elector et
Dominus Albertus, Germani, Marchiones Brandenburgenses, Stetinensium, Pomeranie, Cassubie
et Sclavorum Duces, Burckgravi Nurnbergenfes et Rugie Principes, imitatione dignissima arbi-
trati, animadvertentes, quia revera sine literarum peritia nemo satis nec scire nec indagare queat,
quid Christiane Leges, quid Consilia, quid precepta adhortationis et monimenta, quid Religio, quid
fides, quid pietas possint, quid fas et jura sinant, quid inter mortales privatim publiceque officium
desideret, quid animis corporibusque medendis proximis accedat: Certo certius ex his ducentes,
nihil dignius magnificentius, prestabilius, commodius atque salubrius, vel in Remp. Christianam, vel
privatas in res conferri per eos potuisse, quam si ad erudiendum instituendumque literis et bonis
vite institutis, mortalium animos, illorum sapientissimorum virorum ritum imitantes, conventum Cla-
rissimorum et Doctissimorum hominum et Scholas publicas, in sua etiam tandem Marchia convoca-
rent. Matura itaque Consiliariorum suorum prehabita consultatione hec perscripta, longeque his
majora, quam quispiam calamo equaret scribendo, generosissimis eorum animis iterum atque iterum

revolventes, Assentientibus illis et plane adhortantibus Patrie Primoribus, imprimis autem Reverendissimo in Christo Patre et Domino, Domino Theodorico Sancte Lubucensis Ecclesie Episcopo, Surgentis illius Academie et Studii Francofordiani cancellario unico et Privilegiorum Conservatore, plurimum annitente, animos humerosque pulcherrimo huic operi submiserunt, ac sic Scholasticorum, Magistrorum et Doctorum Scholas et Univerfitatem instituerunt, ordinaverunt, perpetuisque duraturam temporibus erexerunt: Nobisque tametsi immeritis primi Rectoratus fascibus commissis, uti hanc novellam Studii Generalis plantationem, institutam, erectam ordinatamque esse passim per orbem invulgaremus, demandarunt, et hanc quidem in Francofordiensi cis Oderam Marchie Civitate: Civitate, in qua omnium, qui hanc vel habitaverint, vel viderint, consensu et iudicio, in nobilissimo pisciferi fluminis littore sita, Cereris Bacchique et omnium, que usus exigit, feracissima, in quam, velut commune Germanici Sinus Emporium, nedum Septentrio iste, totum quod Baltico Mari continet, invehit, sed et Occidens et Auster, et quicquid a nutantibus Zephyris undique copiarum est, tribus amplissimis nundinis, celebri commercio quotannis infertur. Nos igitur supradictus Novelli hujus Francofordiani Gymnasia Rector Illustrissimorum commemoratorum Principum Brandeburgensium Marchionum etc. commissione et mandato Univerfos et singulos has literas ubivis gentium lecturos, visuros aut legi audituros, certiores reddimus et presentibus literis nostris rata fide certificamus, hujus Novelli Francofordiani Studii, Magistrorum, Doctorum et Scholasticorum Univerfitatem, Apostolica denique et Imperialia ejus Privilegia, ac universa alia huic rei sese accommodantia, de Anno currenti Millesimo Quingentesimo Sexto, Dominica proxima, que diem Divi Marci insequitur, hoc est ad diem vicefimam sextam Mensis Aprilis Francofordiensi Civitati festiviter, dignisque apparatus introducenda esse et publicanda: Ibi que tum jactis felici fidere fundamentis, primique Rectoratus fascibus confirmatis, quamprimum in omni doctrinarum genere Lectiones et exercitia, Disputationes, resumptiones et repetitiones et quicquid undiquaque in aliis versant Academiis, in hoc Francofordiensi studio, abundanter obiri, assatum peragi et curatum iri notificamus et invulgamus. At ne quempiam studii amore Francofordium profectum, quidpiam oporteat vel temporis, vel doctrine dispendii interea perpeti, nullo minus post harum publicationem quam ocissime in Poetica, Oratoria et Theologia, reliquisque bonis artibus, Professores et Preceptores indies professuri constituentur. Veniant igitur in hanc Francofordiensem Academiam, Novellumque hoc Gymnasium universi, qui laboribus susceptis, aditisque periculis, scientie margaritam invenerunt et divinitus eis concessum talentum in commune expendere, atque lucernam, quam assiduis laboribus accenderunt, non in abscondito, neque sub modio, sed super candelabrum, ut luceat his, qui virtutis viam ingredi cupiunt, secundum Legem Evangelicam ponere curent. Veniant et commigrent eo docilis ingenii Adolescentes atque doctissimis hic viris, dum tener animus est et flexilis etas, mentem tradant imbuendam. Eas enim ibi, hoc est in Francofordiensi Gymnasio, Facultates disciplinas et instituta offendunt et assequuntur, unde proli et irrigati humo se tollere eis que amplissimas laudes, immensa commoda, animorum letitiam patrie gloriam ornamentumque et decus perenne assequi poterint et accumulare. Non solum enim illis, qui in hac Francofordiensi Academia Preceptorum et Professorum vices agent, obibuntque doctrinandi provinciam, larga manu, iusta stipendia et laboris premia numerari curabuntur; Sed universi et singuli in hoc Francofordiense Gymnasium quamprimum post harum publicationem profecti et commigraturi, omnium Privilegiorum, libertatum, immunitatum et facultatum prerogativis et antelationibus, in quacunque alia Germanice Nationis Academia, vel habitis vel habendis, Ducali et ordinaria Illustrissimorum prefatorum Principum Autoritate donabuntur, omnique affectu, favore et gratia fulcientur et accumulabuntur ad laudem dei.

Date Francofordii, Anno a Natali Dominico Millefimo Quingentesimo Sexto, Die vero Februarii vicesima sexta, Nostri Rectoratus sub Sigillo.

Beemanni Not. Univ. Frankof. p. 4—7 No. III.

CCCLXXXII. Pappst Julius gestattet dem Kurfürsten Joachim und Markgrafen Albrecht die
Stiftung der Universität Frankfurt, am 15. März 1506.

Julius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. In suprema Apostolice dignitatis specula, licet immeriti, disponente Domino, constituti, ad vniuersas fidelium regiones cure nostre vigilantie creditas, earumque profectus et commoda, tanquam vniuersalis gregis Domini pastor, Commisse nobis speculationis aciem, quantum nobis ex alto permittitur, extendentes fidelibus ipsis ad querendum literarum studia, per que divini nominis, S. Steque Catholice fidei cultus protenditur, iustitia colitur et tam publica, quam privata res vtiliter geritur, omnisque prosperitas humane conditionis augetur, libenter favores gratiosos impendimus et opportune commoditatis auxilia impertimus.

Sane pro parte dilectorum filiorum, nobilium virorum, Joachimi, Sacri Romani Imperii Principis Electoris et Alberti, Marchionum Brandenburgensium, fratrum germanorum, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi, in quorum dominiis sunt quam plura oppida et alia loca insignia, nec non Ecclesie, monasteria et beneficia Ecclesiastica, etiam regularia, copiosusque tam Ecclesiasticorum, etiam regularium, quam secularium, nobilium et mercatorum, aliorumque laicorum populi numerus, cupientes ejusdem populi ac totius Reipublice dictorum dominiorum suorum statum prosperari et cognoscentes, quod si in aliquo loco dictorum dominiorum ad id commo-
modo, studium literarum vigeret Generale, quam plures, qui literarum studio operam dare optant, ad locum ipsum pro acquirenda scientie margarita, se conferrent et in illa non mediocriter proficerent, summopere desiderant pro vtilitate Reipublice et incolarum et habitatorum dictorum dominiorum et aliorum illuc accedentium, in eorum oppido Francofurt penes Oderam, Lubucensis Diocesis, quod admodum insigne et populosum et ad id accommodum existit et in quo viget aëris temperies et victualium vbertas et habitationum pro studentibus commoditas, ceterarumque rerum ad humane vite vsum necessariarum copia reperitur, erigi et ordinari studium generale in qualibet licita facultate.

Quare pro parte prefatorum Joachimi, dicti Imperii Archi-Camerarii, et Alberti, fratrum, qui etiam Stetinensis et Pomeranie Principes et Burggravii Nurenburgenses, ac Rugie Duces existunt et vt asserunt, Magistris et Doctoribus in dicto studio pro tempore legentibus de salario competenti providere intendunt et vehementer cupiunt, vt dicta eorum dominia scientiarum ornentur muneribus, dictumque oppidum et illius studium producat viros consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus et diversarum facultatum dogmatibus eruditos, sitque ibi fons irriguus, de cujus plenitudine hauriant vniuersi Christi fideles vndique illuc confluentes et literarum documentis insistere volentes, nobis fuit humiliter supplicatum, vt in dicto oppido studium generale